



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 1. De remiſſione & gratia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

varatus, qui hæreditatem principis beneficio consecutus est. Atque in hunc sensum interpretaris licet paulò ante leges citatas.

Quod si inde damnum enorme passus fuerit in integrum restitutus, remedium seu levamen à benignitate Principis expectare potest.

Dub. 9. An restitutus à Principe in integrum ex merâ gratiâ pretium bonorum à fisco alienatorum recuperet?

Certum est; ipsa bona, si alienata fuerint, non recuperari, quod gratia uni concessa non debet alteri præiudicare. l. 2. §. merito. ff. Ne quid in loco publico. Quocirca adversus possessorem non dabitur actio cuiquam. Sed de Fisco difficultas remanet, annon refundere debeat pretium, cum ex illo ditior effectus sit. Tuschus consil. 276. n. 11.

R. Bonorum à Fisco alienatorum pretium restitutio à Principe in integrum reddendum esse. l. ex lege. §. Sed etsi lege. §. Item si rem distaxit. et. de pet. her. ubi bona fidei possessor ad restitutionem obligatur, in quantum ex pretio locupletatus est. Cum ergò Fiscus loco hæredis sit, & bona alienata sint, illorum pretium restituendum erit. l. Tutoris C. ad l. ult. de vi. Aliàs non possumus intelligere, quomodo in integrum restitutus esse dicatur, qui eorum, quæ antea obtinebat, nihil recipit. Indulgentiæ restitutio bonorum, ac dignitatis uno nomine amissorum omnium recuperatio est. l. ult. c. eod. In dubio mens Principis consulenda erit. Matth. de afflict. decis. 361. Fachin. l. 9. c. 18. Contrarium tamen, quoad bona alienata persuadere conatur. Jul. Clar. §. fin. q. 59.

TITVLVS XIV.

De remissione, & purgatione.

Super sunt duo modi, quibus in iudicio objecta vel suspicione imputata crimina diluantur. Princeps enim aliquando gladio, quo uti solet ad vindictam malorum, vaginæ reddito, clementiæ suæ beneficio abolere, quàm plerèze commissa mavult, adeoque compedes, & vincula laxans liberos dimittit malefactores: aliquando cum occulta delicta sunt, suspicio tamen reos urget, purgatio indicitur, per quam innocentia demonstratur. Hæc igitur in futuram nobis annuenda materia erit.

§. I.

De remissione, & gratia.

I. EX eo, quod in c. t. de poenitentis & remissionibus dicitur remissiones, quæ sunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad adificationem pontificum, nonnisi subditis prodesse, Præteius colligit, remissionem aliud non esse, quàm indulgentiam, qua peccatorum pœnæ per sacros antistites tolluntur. Dambouderus verò c. 146. ad forum sæculare respiciens relaxationem pœnæ capitalis interpretatur, quæ fit in homicidis, & aliis capitalibus.

c. 33. bus

bus reis: præterea differre in modo, quo literæ expediuntur. *l. cit. nu. 22.* Sed quia hoc accidentarium & quasi arbitrium est, obstare non potest, quo minus pro eodem sumantur. *Sily. V. Gratia & Indulgentia. Franc. Marcus part. 1. decisionum aurear. q. 14.*

II. Antiquum esse morem criminas seu pœnam criminum remittendi, & dimittendi reos ex sacra & profana historia discimus. Nam *Athenas* teste apud Theffalos in die festo, quem Pelorum vocabant, victi carcere liberabantur, & in convivium adittebantur ob memoriam beneficii à Peloro quondam accepti. Iudæi quoque, ut constat ex *Matth. 27. 10-18.* in memoriam liberationis ex servitute Ægyptiaca, Phasis, seu Paschatis tempore unum ex victis, quamvis nocentissimum dimittebant.

Vnde nihil mirum à Christianis quoque morem illum receptum esse, quem admodum videre est in *l. Nemo C. de Episcopali audien.* Vbi primus dies Paschatis extiterit, nullum teneat carcer inclusum, omnium vincula dissolvantur. Idem in die natali suo Reges consueverunt facere. Vnde *S. Ambros. l. 3. de Virgin.* post initium loquens de natali Herodis & carcere *S. Ioan. Bapt.* Quis non, cum è convivio ad carcerem cursari videret, putaret Prophetam esse iustum dimitti? quis, inquam, cum audisset natalem esse Herodis, puellæ optionem eligendi quod vellet, datam, missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum deliciis? Qua solemnitate diem natalem Romani celebrare olim soliti sint, in viridario suo *Mendoza explanat l. 8. c. 9.* Eadem consuetudo in promulgatio-

ne pacis inita ad lætitiæ demonstrationem observatur, ut factum anno 1544. in Mediolanensi Ducatu, cum inter Carolum V. & Franciscum Galliarum Regem constituta pax esset. Et anno 1559. ob pacem initam inter Philippum II. Hispaniæ, & Henricum Galliarum regem *Menoich. casu 203. n. 38. Franc. Marcus part. 1. decis. aurear. quest. 409. Tholos. l. 31. Syntag. c. 33. ad Contzen l. 3. Polit. c. 6. Inl. Clarus §. fin. q. 46. §. Solent etiam. Ign. Lopez in Pract. crim. c. 127.*

III. Simili modo Reges, & Principes, ut adventum suum publico gaudio cumulent, urbem ingredientibus permittunt carceres, & vincula solvi, ut liberi exeant, qui constricti tenentur. Item coniuges Principum sibi licere volunt, faciuntque, cum hoc tamen discrimine, quod remissionis literæ non ipsarum, sed Principum nomine expediuntur. Aliis quoque temporibus & occasionibus eandem præstare gratiam reis ac victis nihil vetat. Clementia enim omnibus quidem hominibus secundum naturam, maxime tamen decora Imperatoribus est, teste *Seneca l. 1. cap. 5. V. Vernulæum l. 1. institut. Politicar. l. 14.*

IV. Remissio tamen, de qua loquimur, non semper plena, & perfecta est, sed aliquando fit cum reservatione mitioris pœnæ, vel multæ. Nam quæ die Veneris sancto in honorem Christi passi sunt, ut plurimum plenas esse convenit, sublata omni, & extrinsecta obligatione. Aliis verò diebus quæ conceduntur, civili aliqua emenda, ut *Dambouderus* loquitur, gravari solent, nisi aliud consuetudo loci, ut in Galliarum regno, vel Principis benignitas velit. *Dambouder. in Praxi Crimin. c. 145.*

V. Quam

V. Quamvis supremi Principis potestas ad liberationem reorum, & remissionem culpæ per se sufficiens sit, quia tamen nec malefactoribus ipsis, nec reip. expediat omnibus sine discrimine eam gratiam præstare, legibus cautum est, ne certa quædam hominum genera relaxentur. Equidem in l. *Nemo C. de Episc. audientia.* excipiuntur sacrilegi, adulteri, stupratores, incestuosi, raptores Virginum, violatores sepulcrorum, venefici, malefici, violatores monetae, homicidæ, parricidæ, læsæ majestatis rei. Denique qui idem crimen iteratò commiserunt. Ex quibus colligimus is maximè sperandam liberationem, qui cum verecundia quadam, & minori temeritate peccarunt, quales sunt incauti, & prodigi, creditoribus obnoxii, qui ita relaxandi erunt, ut ius tertio saluum maneat, coganturque satisfacere illis, quibus obligati sunt. Nam ius tertio acquisitum non tolerant Principes unquam sine gravi causa offendere. Et *Ziletrus sigillatim. tom. 11. conf. 73.* demonstrare nititur nulli Regum, aut Principum licere homicidis deliberatis pœnam capitis remittere, quod dicere facilius est, quam persuadere. Non eadem omnium conditio est, sed longè dissimillima, quamvis idem re ipsa delictum.

VI. Solet autem interinatio decerni, ut relaxatus læsæ parti intra unius anni spatium satisfaciat: & securitatis causa detinetur in vinculis tam diu, donec expedita sint omnia; nec sine cautione dimittitur etiam datis fideiussoribus toties, quoties citatus fuerit compariturum, vel per se, vel per alium. In defectu autem, si non compareat, & fidem promissi ser-

vet, puniendus erit fideiussor, sed mitiore pœna. *Chassaneus in Consuetud. Burgund. tit. Des Justices, &c.*

VII. Verùm generali remissione gaudeant, qui criminis falsi rei sunt, in utramque partem disputat *Boerius decis. 217. n. 21.* juxta textum l. *Nemo cit.* simplici oculo inspectum videntur non excludi: *Bartolus* tamen secutus legem *Lucius ff. ad S. C. Turpill.* omninò excludi putat. Ibi enim *Moderstinus* respondet abolitionem reorum, quæ publicè indulgetur, ad hoc genus criminis non pertinere. Favet *Dominici Soto apud Menoch. q. 96.* opinio, pœnæ remissionem non nisi ex causa faciendam à principe, ut puta, si quis deliquit casu, aut fortuitò, vel ex fragilitate quadam; non autem si vir scelestus & nefarius sit, aut ex professo delinquere solitus. Nam huic pœnam remittere impium foret, quia sic Princeps maleficis favere crederetur. *Dambaud. c. 147.*

De Purgatione Canonica.

REmedium innocentiae tuendæ, & aliis persuaderæ Purgatio existimatur. In occultis enim delictis, & falsò creditis, ut plurimum externi testes desunt, estque facilius multò proximis maculam affigere, quam de culpâ excusare, vel convincere. igitur in genere loquendo Purgatio est demonstratio innocentiae super obiecto crimine. Demonstratio, inquam, non per infallibilia media, seu argumenta, quorum apud Theologos, & Philosophos usus, sed per probabiles coniecturas.

Næque e